

CONCIO IV.

CONCIO IV.

PERFECTIO DEI, ET HOMINIS IMPERFECTIO.

- I. Quoad infinitatem.—II. Quoad simplicitatem.—III. Quoad immensitatem—IV. Quoad aeternitatem.—V. Quoad immutabilitatem.

THEMA.

In se est, qui post me venturus est, qui ante me factus est. Joan. I.

Vir doctissimus, Tertulliano contemporaneus, et Origenis magister Clemens Alexandrinus, lib. III. Pædag. sribit: «Est disciplinarum omnium pulcherrima ac maxima, seipsum nosse; si quis enim seipsum novit, Deum cognoscit.» Docet ergo hic docto, in duobus potissimum consistere disciplinarum omnium pulcherrimam ac maximam, in cognitione videlicet sui, et Dei. Quod ipsum expresse tradidit B. Catharinae Sennensi Christus cum dixit: «Si nosti, filia, quis sum ego et quae tu, beata eris. Ego sum, qui sum, tu es quae non es.» Sur. in vita XXIX. April. Non ignorabat hoc S. August. qui I. II. soliloq. cap. I. ait, brevissime et perfectissime sic orari Deum: «Deus semper idem, neverim te, neverim me.» Non ignorabat S. Franciscus, qui sic orare crebro solebat: «Domine quis es tu? Et qui ego sum?» Denique in hac disciplina versatissimum fuisse Joannem Baptistam, colligimus ex hodierno Evangelio, ubi duobus verbis sui et Dei cognitionem tradit, dum de seipso dicit: *Non sum: de Christo vero: Ipse est, Medius vestrum stetit, inquit, quem vos nescitis: ipse est, qui post me venturus est, qui ante me factus est;* quasi dicit: Ego non sum; ipse est, quem vos me opinamini, Messias. Jam audi fractum hujus cognitionis: *Cujus non sum dignus, ut solvam ejus corrigiam calcamenti.* Ita nimur, si agnosceremus nos et Deum; nos ipsos humiliaremus, Deum vero sicut decet, glorificaremus. Quod utinam hic discamus.

Exod. III. legimus aperuisse Deum Moysi nomen suum hisce verbis: *Ego sum, qui sum, vel (ut Septuaginta) Qui est; hoc mihi nomen est in aeternum.* Id quod multis modis potest intelligi.

I. Deus est qui est, quoad infinitatem, quia est Ens a se universalissimum, infinitum et perfectissimum, adeoque fons totius entis, et essentiae pelagus immensum, in quo formaliter vel eminenter continentur omnia et unde omnia pramanant tamquam a primo ente. Quia si esset ab alio, vel aliquid non ab ipso, vel quod non contineretur in ipso, jam non haberet omne esse, ac proinde non esset Deus. E contra homo est qui non est, quia habet esse datum ab alio, scilicet a Deo, et Dei voluntate, quantum, quemadmodum et quousque Deus vult; atque ita ex se nihil est et nihil potest.

CONCIO IV.

Secundo, quia ut ait Plato in Theæteto, plus habet non entis, quam entis; quia habet non esse coeli, terræ, lapidis, angeli et omnium rerum aliarum et plurima insuper peccata. Tertio, qui est tantum venula a pelago divinitatis descendens et in ipsum recurrens, habens juxta et extra se alias venas, etc. adeoque respectu illius oceani bonorum, nihil est.

Unde disce primo, quanta reverentia et humilitate agendum sit cum Deo, verbi gratia, cum oras, cum de Deo loqueris, cum Deo quid promittis vel offers, etc. Quis enim est Deus? Et quis es tu? Ille ex se est infinitum et omne bonum et omnia potest: tu ex te nihil es et nihil potes. Et quidquid habes, a Deo habes: quidquid potes ex Deo potes. Deinde omne bonum tuum, quod ex Deo habes, respectu boni, quod ipse est, nihil reputatur. Huc respiciebat Abramam, cum orabat: *Loquar ad Dominum meum, cum sim pulvis et cinis,* Gen. XVIII.

Secundo, quantopere Deus amandus sit, quia in ipso infinite est, quidquid possumus concupiscere, ut nobis bene sit. In ipso est omne bonum, omne pulchrum, omne delectabile, omnis dulcedo, omnes divitiae, omnis nobilitas, omnis majestas, omnis gloria, omnis sapientia, omnis potentia, denique vita aeterna. Quis hoc tantum bonorum omnium pelagus non amet, non desideret? Magna igitur dementia est, querere rivulos et venas, et relinquere fontem omnis boni, in quo creata omnia longe perfectius reperiuntur, non minus, quam si quis umbram aut rudem picturam magni alicujus regni mallet eligere, quam ipsum regnum, apte leve unius horæ somnium de felicitate, quam veram et solidam felicitatem. De quibus Jer. II. dicitur: *Me dereliquerunt fontem aquæ vivæ, et foderunt sibi cisternas.* Et Psalm. LXXXV. *Dormierunt somnum suum, et nihil invenerunt omnes viri divitiarum in manibus suis.* Ut enim qui dormiunt, inani divitiarum, bonorum vel deliciarum imagine delusi, nihil horum inventiunt, cum vigilant, sed cum dolore vident se deceptos: ita accidet omnibus mundi amatoribus, cum excusso per mortem somno in luce alterius saeculi expurgiscuntur.

Tertio, quam res nobilis sit servire Deo. Cum enim Deus infinites major sit omnibus mundi regibus, infinites etiam majus est servire ei, quam alicui regi terreno, imo quam esse monarcham totius mundi: sicut nobilis est aulicum regis esse quam pastorem ovium. Hoc nomine et titulo gloriatur in epistolis suis Paulus: *Paulus servus Jesu Christi,* S. Gregorius PP. ejusque successores, qui se Servos servorum Dei vocant, et B. Agatha, quæ præsidi objiciunt vilem Christianorum vitam, respondit: «Chris-

DOMINICA III. ADVENTUS.

117

tianorum humilitas et servitus longe praestat regum opibus et superbia.»

Quarto, quam stulta et explodenda sit hominum superbia, siquidem tot modis nihil, et non sunt.

II. Deus est, qui est, quoad simplicitatem, quia est ens simplicissimum et actus purissimus, tripliciter. Primo, quia non est compositus ex partibus; talis enim si esset, posterior esset partibus se componentibus, et ab illis haberet esse. Secundo, quia quidquid in ipso est, non est accidentis, sed ipsa ejus essentia; unde et essentialiter bonus, sapiens, potens, etc. eaque bonitas, sapientia, potentia est ipsa ejus essentia; alioquin si esset inter Deum, ejusque attributa distinctio formalis, admittenda esset in Deo aliqua compositio, itemque productio præter eam, quæ est Filii et Spiritus Sancti. Tertio, moraliter, quia omni fuco et duplicate caret.

Homo vero est, qui non est. Primo, quia compositus ex partibus, et singulæ partes non sunt ipse homo. Nam «secundum aliud homo est corpus, et secundum aliud est rationale, et singulum horum non est totum, quod homo», ait S. Anselmus in Monologio, c. XVI. Rursum homo est tantum per accidentis bonus, sapiens, fortis, justus, etc. Unde potest talis non esse. Unde «Deus amat ut charitas, ait S. Bern. I. V. ad Eugen. novit ut veritas, judicat ut aequitas, dominatur ut majestas, regit ut principium, tuerit ut salus, operatur ut virtus, revelat ut lux, assistit ut pietas, que omnia faciunt et angelii, facimus et nos, sed longe inferiori modo, non uti que bono quod sumus, sed quod participamus; Deus autem hoc ipso quod est? Ait enim: Ego sum qui sum:» Denique homo non idem est semper, qui appetit, sed multoties prima leo, postrema draco, media ipsa chimæra, ut ait quidam, quasi dicat varius, versatilis, fictus, bicors.

Discimus hinc, quam bonum et securum sit adhaerere Deo, quam vanum contra et periculum adhaerere homini, et rebus creatis, fluxis et fallacibus. Deus enim est ipsa bonitas, aequitas, sapientia, vita, etc. et qui ipsum possidet, omnia ista possidet. Qui adhaeret Domino unus spiritus est, (cum eo scilicet) ait Apost. I. Cor. VI. quia nimur per charitatem et gratiam sit quasi divinus. *Elige ergo vitam,* inquit Moyses Deut. XXX. *ut et tu vivas et semen tuum: et diligas Dominum Deum tuum atque obedias vocem ejus, et illi adhaeras (ipse est enim vita tua et longitudine dierum tuorum).* Homines et creature aliae baculus sunt arundineus, qui cito franguntur, si innitaris ei; quia per accidentis tantum bona, divites, formosæ, sapientes sunt: uti expertus est filius prodigus, qui in regione extera adhaesit uni civium regionis illius, et missus est ab eo in villam ut pasceret porcos,

Luc. XV. Hic finis, hæc merces est adhaerentium mundo et hominibus.

III. Deus est, qui est, quoad immensitatem, quia est in immensum diffusus et totus ubique, id est, in mundo et extra mundum, omnia ambiens omnia penetrans, ideoque illocabilis et incircumscribens, quatenus nullo loco circumscribi potest, sed «Est ipse sibi locus,» ut ait Damascenus libro I. de fide cap. XVI. Ratio est, quia si non esset immensus, posset aliquid eo majus et potentius cogitari; item posset aliquid esse extra Deum: rursum posset moveri loco, quæ omnia impossibilia sunt. Ergo sicut est infinitus in substantia, ita et in quantitate, quo perfinet illud Psalm. CXLIV. *Magnus Dominus et laudabilis nimis et magnitudinis ejus non est finis.* Et id Isaiae LXVI. *Cælum sedes mea, terra autem scabellum pedum meorum.* Et Jeremias capite XXIII. *Cælum et terram ego implico.* Ut enim sponsa est in vastissimo mari, vel globus vitreus in lumine solis undique translucentis, ita mundus est in Deo.

Homo est, qui non est, quia in mundo est, et in determinato atque angustissimo ejus angulo, et per partes quidem, ita ut singulæ ejus partes singulos obtineant locos.

Unde discimus primo, debere nos semper in praesenti Dei magna cum reverentia versari. Quis enim audeat in conspectu principis omnia pervidentis et valentis mox punire, adeoque ponam intentantis, legem ejus violare? Refert S. Gregorius Nazianzenus carm. de subm. et tempor. meretricem a sceleris absterritam intuitu imaginis Polemonis philosophi severe et graviter pietæ. Quis non efficacius absterreat a sceleribus, si ad Deum ubique praesentem, omniaque coram insipientem et notantem, oculos convertat? Et vero licet ejus praesentia sit invisibilis, satis tamen manifeste se prodit per ipsarum creaturarum speciem, in qua et lucet mira Dei sapientia et potentia; quemadmodum et anima, licet invisibilis sit, foris tamen se prodit per motus et operationes. Antigonus duos excubidores suos audiens sibi detrahere, velo quod intererat commoto, admonens dixit: «Longius discedite, ne vos rex audiat.» Seneca auctore libro III. de ira, capite XXII. Hoc tibi, cum offendis Deum, dicere Deus potest. Sed et audi Davidem: *Quo ibo a spiritu tuo, et quo a facie tua fugiam?* Si ascendero in cælum, tu illuc es, etc. Corruuit Judæorum cohors, cum audivit dicentem Christum: *Ego sum.* Quis ergo audeat pugnare in Deum, undique praesentem et dicentem: *Ego sum.*

Secundo, fiduciam habere in Deo quibuscumque in periculis, ut qui nos ambit undique, ne facile permittat, ut quis nobis noceat. *Ego sum,* ait Dominus ad discipulos in tempestate navigan-

tes, nolite timere, Joan. VI. Item tibi ab eo dici credito. Ergo quoties angustiaris, recipe te in fundum animæ tuæ et revoca eo cogitationes tuas; mox enim invenies ibi Deum, et dices cum Davide: *Memor fui Dei et detectatus sum.* Nautæ in tempestate metuenti dicebat Julius Cæsar: « Confide; Cæsarem vobis et fortunam ejus. » Plutarch. in apoph. Hoc tibi a Deo quoque dici puta, quoties jactaris vitæ hujus procellis.

IV. Deus est, qui est, per æternitatem; quia semper est in præsenti, carentes præterito et futuro, habens æternitatem inamissibilem, et præterea totam simul possidens, ita ut quovis momento æternitatis fuerit; et sic in illo omnis sapientia, omnis amor, omne gaudium, et omnis felicitas, gloria, etc.

Homo e contra est, qui non est, qui antequam crearetur, habuit æternum non esse, et cum morietur, redibit ad suum non esse; ac licet resuscitandus sit, habebit tamen suum non esse possibile, quia potest perdere suum esse; denique suum esse, suas cogitationes, affectus, gaudia, felicitatem, etc. non simul sed per partes tantum habet. De nobis dicitur: *Dies mei sicut umbra declinaverunt, et ego sicut fænum arui.* De Deo vero: *Tu autem Domine in æternum permanes, et memoria tua in generationem et generationem:* Psal. CI.

Hinc disce primo, desiderare æternam felicitatem, ubi possidebimus divitias infinitas, non centum aut mille annis, sed infinitis sæculis, non sensim et successive commoda et delectationem earum percipientes, ut fit in hoc mundo; sed simul et cumulatim, ita ut ex apprehensione hujus ævi, omnia ejus gaudia simul percepti simus.

Secundo, contemnere mundum et temporalia omnia. Quia licet omnia quæ in mundo sunt possideant, nihil tamen habes respectu æternitatis; quia omnia perdes, nec aliud tibi supererit, quam tristis memoria rerum perditarum, eoque tristior, quo visæ tibi fuerint dulciores; imo præsentem senties mortorem, quoties recordaberis illius non esse, in quod redibunt tuæ divitiae ac deliciae: toties enim concutietur tibi pectus, quoties tibi in mentem veniet, hæc finem habitura esse. Accedit quod temporalia non simul afferunt, aut gustanda porrigunt sua commoda, suum nectar, sed guttatum et per momenta; in celo autem omnis dulcedo simul propinatur, simul hauritur per omnem retro æternitatem.

V. Deus est, qui est quoad immutabilitatem, Malach. III. *Ego Dominus sed non mutor.* Est autem immutabilis secundum substantiam, perfectiones et attributa sua. Nunquam fit diutor, sapientior, potentior, benignior, justior,

gloriosior; licet modo magis, modo minus glorificetur ab hominibus. Etsi totus mundus periret, non idcirco ei quidquam periret, quia ipse sibi sufficiens est, et omnia in se continet eminenter, quæ sunt extra ipsum, eaque respectu ipsius nihil sunt: *Tamquam momentum stateræ*, ait Sapiens c. XI. *sic est ante te orbis terrarum; et tamquam gutta roris antelucani, que descendit in terram.* Secundo, secundum actus voluntatis, consilia, decreta, quæ nunquam mutat, sed ab æterno determinata habet; quod nunc vult, ab æterno voluit. Etsi legatur aliquando mutasse sententiam, uti cum pepercit Israelitis: Exod. XXXII. et Ninivitis: Jonæ III. id intelligendum est, mutatam esse hominum, non Dei sententiam: « Deus enim consilium non mutat, sed rem» ait Sanctus Gregorius I. XXII. mor. cap. XXIV.

Et quia homines mutati aliud meruere judicium, ideo impropte dici potest mutatum esse Dei decretum: verbi gratia, si Deus manu sinistra portendat contra male agentes gladium, manu vero dextera versus pœnitentes et bonos coronam: (sicut in Apoc. cap. I. in ore visus est gerere gladium ancipitem, in dextera vero stellas) si quis initio currat versus gladium, dicet illi Deus: Ego te transfigam. Sed si is mutet gradum, et currat ad dexteram et coronam, dicet ei Deus: Ego tibi parcam. Hic profecto non est mutatus Deus aut decretum ejus; sed potius peccator et iter ac propositum ejus. Tertio secundum locum, quia est immensus.

Homo e contra est, qui non est, quia mutabilis totidem modis. Primo, secundum esse substantiale, quia id amittere potest, cessat nimurum libero Dei influxu; similiter secundum affectiones et proprietates naturales, ætatem, formam, divitias, prudentiam, judicium, etc. adeoque corruptitur potius homo quam est, dum desinit esse quod fuit, et incipit esse quod non fuit. « Corruptitur enim, (ait ex Plutarcho Eusebius l. XI. de præparat. evang. cap. VII.) juvenis in virum, vir in senem, puer in juvenem, infans in puerum, et qui heri fuit, in eum qui est hodie, quique hodie est in crastinum; manet autem nullus idem. » Quare de hominibus verissime dicit David Psal. CI. *Sicut opertorum mutantib[us] eos et mulabuntur.* De Deo vero: *Tu autem idem ipse es.* Secundo, secundum actus voluntatis, consilia, decreta, etc. Quo sensu dixit David: *Omnis homo mendax.* « Quomodo si sumus iidem, (ait Eusebius loc. cit.) aliis nunc, quam ante, gaudemus? Alia modo amamus atque odi mus, aliis passionibus movemur, etc. » Tertio, secundum locum, quia cum sit limitatae quantitatis et limitatum locum occupet, necessario est loco mobilis.

Discimus hinc primo, neminem Deo dare, ne-

minem auferre quid posse, quia id Deum non ditiorem, hoc non facit pauperiem. Frustra ergo sibi blanditur, qui multum se pro Deo fecisse existimat: sibi enim potius, quam Deo laboravit, cui nihil inde accedit, licet debeatur omne obsequium. Unde Job. cap. XXXV. ait: *Si peccaveris, quid ei nocebis, et si multiplicatae fuerint iniquitates tue, quid facies contra eum?* Porro si juste egeris, quid donabis ei? Aut quid de manu tua accipiet? Frustra etiam insanit, qui suis blasphemis et sceleribus Deo nocere, mox et inferre, et de illo se ulcisci putat. Sibi enim, non Deo nocet; caput rupi nihil obest, sed sibi infligit vulnus quod sentiet suo tempore.

Secundo, super omnia timere sententiam æternæ damnationis, quia erit fixa, stabilis et irretractabilis in omnem æternitatem, sicuti ipse Deus semper erit idem, inflexibilis, et immutabilis. *Ego sum, qui sum,* ait Dominus, Hebrei, *Ego, qui ero.* Itaque licet damnati milles clament ad Deum, semper is respondet: *Ego qui ero, sum qui sum.* Immobile saxum est sententia damnationis. Væ illi, in quem cedidit! Cogita nunc, quæ tibi foret mens, si post damnationem animo recoleres, te premi saxo illo et sententia immobili? Nimurum nullis vocibus exprimere miseriam tuam posse. Ergo dum in potestate nostra est fugere hoc pondus, fugiamus, et a sinistra Dei ad dexteram propereamus.

Finiamus cum S. Tiburtio martyre, fratre Valeriani sponsi S. Cæciliae, qui cum ab Almachio præfecto ob suspectam fidem insanæ argueretur, respondit: « Utinam dignetur nos (Deus) referre in numerum servorum suorum, qui respuerunt id, quod videtur esse et non est: et invenerunt illud, quod non videtur esse et est. » Cui Almachius: « Quid videtur esse quod non est? » Omnia, (inquit Tiburtius) illa quæ in mundo sunt, quæ et cultores suos ad æternum exitium per brevis temporis lætitiam ducunt. Quod vero est et non videtur esse, est vita justorum et supplicium injustorum. » Ut in vita S. Cæciliæ.

CONCIO V.

JACTANTIA ET PROPRIA LAUS CULPATORUM.

- I. Jactantia noxia. — II. Stulta. — III. Odiosa. — IV. Suspecta. — V. Vana.

THEMA.

Quid dicas de teipso. Joan. I.

Jure meritoque angelum appellavit Dominus Joannem ante octiduum. Simillimus enim est angelo illi Judic. XIII. qui a parentibus Samsonis bis rogatus, ut diceret illis nomen suum quo ab illis honoraretur, renuit, nolens hono-

rem recipere ab hominibus. Et quid aliud fecit Joannes in hodierno Evangelio? Nonne saepius interrogatus quis esset, noluit dignitatem suam prodere, ne vane et plus æquo coleretur ab hominibus? Confundit ergo Joannes stultam mundi superbiam, dum ipse tantus heros de se interrogatus, humillime respondet et fere per negationes tantum: *Non sum, non sum, non sum:* tametsi vere dicere poterat, se Eliam et prophetam esse. Non ita filii hujus sæculi: qui mira et magna de se prædicant, tametsi multoties sibi indebita. Hujusmodi gloriosus miles fuit rex Nabuchodonosor, qui in aula sua deambulans dixit: *Nonne haec est Babylon magna, quam ego edificavi in domum regni, in robore fortitudinis meæ et in gloria decoris mei?* Dan. IV. Quamobrem recte vocatur jactabundus iste rex, singulis ferus, qui depastus est Dei vineam, scilicet synagogam Judeorum. Singularis autem ferus erat, « Quia superbus, inquit Sanctus Augustinus in eum locum; solus enim superbus dicit: Ego sum, ego sum et nemo alius. » Superbi igitur dicunt: Ego sum, humilius vero Joannes: Non sum. Utra vobis responsio magis placet, auditores? Seipsum extollentis? An seipsum deprimentis? Nulla deliberatione opus. Quam enim noxia, stulta, odiosa, suspecta et vana sit jactantia et laus propria, facile ostendemus.

I. Noxia est, quia destruit meritum operum bonorum, et quod prius vinum erat, vertit in aquam, quod sapidum, facit insipidum, quod laude dignum, facit illaudabile; ut enim gallinae, posito ovo glossantes, produnt ovum suum et inde eo spoliantur; ita ad unguem, qui virtutes suas ipse canit, meritum et laudem earum perdit. Scimus ex Isaia cap. XL. Ezechiam regem, quod legatis regis Babylonis monstraverit thesauros et divitias domus suæ, in pœnam ejus vanitatis, audisse a Domino per os Isaiae: *Ecce dies venient et auferentur omnia, quæ in domo tua sunt, in Babylonem.* Isa. XXXIX. Unde S. Beda in IV. Reg. cap. XX. et Eucherius: « Ezechias, inquit, vane ostentans thesauros suos significat servum Dei, dum virtutes suas vanæ gloriæ prodiderit, mox eas perdere et in demonum dominio thesauros bonorum operum infelici commutatione transire. » Deprædaris desiderat, qui thesaurum publice portat in via, inquit S. Gregorius hom. XII. Non abs causa præcepit Deus, ut ovium primogenita (quæ scilicet ei offerenda erant) intonsa offerentur: *Non tondebis primogenita ovium,* quia scilicet opera bona, quæ Deo offerenda sunt, non debent per vanam ostentationem denudari hominibus, ut explicat S. Gregorius VIII. moral. c. XXXIV. Exemplum refert S. Gregorius Turoensis in Glor. confess. c. XXXII. de quadam conjugie, quæ apud Arvernos vixerat cum ma-